



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XII. De conscientia dubia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

DISPUTATIO XII.

DE

De Conscientia dubia.

Uo hinc veniunt potissimum ponderanda. Primum est, an cum conscientia dubia sit licitum operari? alterum, quibus modis, & è quibus principiis conscientia dubia deponi possit? ubi plura incidunt, quæ ad notitiam sequentium de conscientia probabili viam sternunt.

ARTICULUS I.

An & quando liceat operari cum conscientia dubia?

SUMMARIUM.

1. Divisio dubii in negativum & positivum.
2. In speculativum & practicum.
3. In dubium juris & facti.
4. In vincibile & invincibile.
5. Licet operari cum conscientia speculative dubia.
6. Non licet operari cum conscientia practice dubia.
7. Solvuntur objectiones Poncii.
8. Quid agendum practice dubitanti?
9. Quid scrupuloso.

§. I.

Quid & quotuplex sit conscientia dubia?

Dubiam conscientiam illam tantum appellamus, quæ in neutram partem contradictionis assensu determinato inclinatur. Unde etiam tantum improprie, vel inchoative conscientiam esse supra diximus. Dividitur juxta varias dubii divisiones: Sicque primo dubium aliud est negativum, aliud positivum. Negativum est, suspensio iudicii proveniens ex defectu medii & rationis probabilis est ex utraque parte, uti in speculativo est, an alia sint paria: in practico, si ne hora noctis duodecima obligans ad jejunandum? si ne recitata hora Canonica, quando ex precedenti crapula non recordaris pridie actorum &c. Positivum est, suspensio iudicii proveniens ex æqualitate mediorum, seu morivorum pari pondere in utramque contradictionis partem inclinantium, ita ut intellectus velut in æquilibrio pendens, neutri parti determinate assentiat: ut si propter oppositas rationes Doctorum dubites, si ne licitum, habere plures præbendas, nec ne? & neque ausis affirmare esse licitum, neque illicitum.

2. Secundò. Dubium aliud est speculativum, aliud practicum. Speculativum dicitur, non quòd aliquo modo non sit practicum, sed quia modo magis generali procedit, non determinando ipsum exercitium operis, cum omnibus circumstantiis consideratum, à quibus exercitium operationis hic & nunc dependet. Practicum est de operatione prout hic & nunc exercenda. E.g. dubitas absolute, si ne licitum die jejunii comedere ova, lactinia? speculative dubitas. Si dubitas, an tibi in hac provincia, hoc loco, itinere, in hoc servitio, occupatione, occasione constituto id liceat? practice dubitas. Contingit autem frequenter, ut cum dubio specula-

tivo consistat conscientia certa de rectitudine suæ operationis, quando operatio separatim à determinatis circumstantiis accepta non esset certò licita, sit autem licita ex accessu novæ rationis, vel circumstantiæ, vel recte advertunt Cajetanus, Medina contra Vasquez. Sic enim, quod est speculative illicitum, sit practice licitum ex superventu novæ circumstantiæ: e.g. Davidi ob extremam necessitatis circumstantiam fas erat comedere panes propositionis, quos alioquin Laicis lex interdixerat. Eadem circumstantia licitam reddit administrationem Sacramentorum in materia dubia, alias vetitam. Pari ratione, quod est speculative dubium an liceat, ex novæ rationis, fundamenti, circumstantiæ accessu certum potest fieri, quòd liceat. Sic miles potest habere dubium speculativum, an bellum, quod à suo principe geritur, sit iustum, & interim practice certò judicare sibi licitum esse, principi ad bellum vocanti parere, cum ipse non sit, determinare, an bellum sit iustum. Iudex speculative dubitans, an liceat secundum allegata & probata damnare, quem scit innocentem, practice potest formare iudicium, id sibi licere, quia hoc cum S. Doctore sentiant esse licitum plurimi docti & graves Auctores.

Tertiò. Dubium aliud est juris, & aliud facti. Dubium juris est, cum dubitatur de Lege, censura, impedimento, obligatione, licitate, valore actus, &c. e.g. si ne talis contractus usurarius? si ne testamentum validum, professio legitima, &c. Dubium facti est, cum dubitatur de existentia actus, vel circumstantiæ alicujus, an v.g. emisseris votum, consenseris delectationi, fueris confessus peccatum, recitaveris horas, &c. Sæpius tamen quæstio ac dubium facti intermiscetur dubio juris. Nam quæstioni, an lex obliget, admiscetur illa facti, fueritne promulgata: Quæstioni de validitate dispensationis admiscetur illa, an Summus Pontifex fuerit veraciter informatus: Quæstioni de validitate Professionis, an habuerit ætatem præscriptam: Quæstioni, an obligeris præcepto jejunii aut impleveris annum 21. &c.

Tandem dubium omnibus istis modis acceptum vel est vincibile, quod adhibita diligenti inquisitione deponi potest; vel invincibile, quod post diligentem inquisitionem deponi & veritas certa obtineri non potest.

§. II.

§. II.

Resolutio questionis.

5. **CONCLUSIO PRIMA.** *Licet operari cum conscientia speculative dubia, quando dubio speculative subnectitur iudicium practice certum de honestate operationis.* Ita communis DD.

Ratio est: Quod toties quis licite operatur, quoties prudenter iudicat, se licite & honeste operari: Sed potest quis habens dubium speculative de honestate operationis adhuc prudenter iudicare, se licite & honeste operari, ut patet ex instantia militis §. Superiori adducta: Ergo. Licet enim dubium practicum regulariter & per se loquendo oriri soleat ex dubio speculative, tanquam proprietates ex essentia, & virga ex radice, & effectus ex causa, & propositio subalternata ex subalternante; e. g. Si dubitas speculative, an sit licitum iter agere die festivo, etiam per se loquendo practice dubitabis, sitne tibi hoc festivo die licitum iter agere. Dubitas speculative, an res sit tua? etiam dubitabis practice, an illam hic & nunc licite retinere possis. Nihilominus ex speciali ratione, titulo, circumstantia aliquando dubium speculative, eiusve influxus in dubium practicum per accidens tollitur: ita miles, non obstante dubio speculative de iustitia belli, ex speciali ratione, quod, cum ipse non sit hoc dubium determinare, stare possit iudicio Principis vel Reipublice, format certum iudicium, sibi hic & nunc licitum esse bellare. Possessor non obstante invincibili dubio, num res sit sua, format certum iudicium ex titulo possessionis, sibi licitum esse rem illam retinere. Medicus cum dubio speculative, num medicina sit profutura, parochus cum simili dubio, num materia sit valida, uterque certo iudicat, sibi hic & nunc licitum esse applicare medicinam, materiam dubiam, emergente speciali circumstantia necessitatis praevalente novum & certum fundamentum discursui practice: in casu necessitatis potius est adhibendum probabile & dubium medium, quam negligenda salus proximi. Sit ergo.

6. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia.* Ita communis DD.

Et ratio est primò: Illa operatio non est honesta & licita, cui deest proxima prudentialis regula honestatis moralis, unde Apost. cit. dixit, *quod non est ex fide*, hoc est, actuali consensu & credulitate, quod aliquid sit licitum, peccatum est: Sed operationi, qua exercetur à practice dubitante de honestate ipsius, deest illa regula proxima, ut patet: Ergo.

Secundò: Committere se proximo periculo peccandi est intrinsecè malum, juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: eodem quoque praecepto, quo prohibetur aliquod opus, prohibetur pariter occasio proxima ipsius: sed practice dubitans committit se proximo periculo peccandi; neque enim est securus, an hic & nunc non offendat DEUM; cum non habeat majus fundamentum credendi, se DEUM offendere, quam non offendere: ergo exercet operationem intrinsecè malam.

Tertiò. Dubitanti de honestate operationis, malitia ipsius est interpretivè voluntaria; nam perinde ipsi est, sive actio sit honesta, sive turpis; & qui eligit operationem, interpretivè eligit & vult illa, qua praevidet posse comitari vel consequi talem operationem: Sic, qui eligit lufum, dubius de lucro vel damno, censetur interpretivè esse contentus, sive lucretur, sive perdat. Agrotus fumens medicinam, & dubius, sitne profutura, vel obfutura, censetur esse contentus, etque imputatur, si medicina potius oblit, quam proficit.

Tametsi talis operatio esset planè per accidens, neque honestas objecti refunditur in operationem, nisi sit directè volita, uti communiter docetur in Tract. de Act. humanis.

Obicit tamen Poncius in 2. dist. 37. q. 2. a. 1. Dubium speculative potest consistere cum licita operatione: Ergo & practicum.

Secundò. Nulla cognitio sufficit ad malè operandum, nisi qua proponit objectum ut malum: Sed conscientia practice dubia objectum non proponit ut malum: Ergo non sufficit ad peccandum.

Tertiò. Non peccat, qui eligit operationem minus probabiliter licitam: ergo neque peccat, qui eligit operationem dubiè licitam. Consequentia probatur: operatio minus probabiliter licita apparet magis illicita quam licita, turpis quam honesta: at operatio dubiè licita tantum apparet vel equaliter, vel nullo modo licita: ergo si illam, etiam istam licet amplecti.

Respondeo ad 1. insinuatam disparitatem esse, quod cum dubio speculative possit stare iudicium prudentiae rectum & certum, non item cum practice.

Ad 2. Distinguo majorem: nisi qua proponit objectum ut certè vel dubiè malum [nam utroque modo proponit, ut practice vitandum] concedo, tantum ut certò malum, nego: sed conscientia dubia non proponit objectum ut certò malum, concedo; ut dubiè malum, nego minorem & consequentiam. Nam, cum per conscientiam dubiam malitia actus dubiè proponitur, hoc ipso accedit aliud iudicium certum conscientiae rectae ex synteresi deductum, quo distatur, fas non esse, ingerere se periculo proximo offendendi DEUM.

Ad 3. Nego consequentiam, probationem de qua inferius plura, distinguo: operatio minus probabiliter licita, apparet magis illicita materialiter & speculative, transeat, formaliter & practice, nego. Formaliter enim & practice apparet omninò licita juxta defensores minoris probabilitatis, quod qualiter contingat, infra suo loco dicetur.

Quid ergo agendum practice dubitanti? Respondeo, vel deponendum est dubium, acque in certam conscientiam reducendum, vel abstinendum ab operatione, illique celebratissima regula obsequendum: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Dubium porro non temerè & pro libitu deponi debet ac potest, neque ad levem alicujus favorabilis rationis apparentiam, sed vel post diligentiam adhibitam compertà veritate rei, vel si certitudo veritatis haberi nequeat, & dubium sit in-

vincibile, ex doctorum piorumque consilio, vel ex aliquo titulo juris, vel gravi rationum pondere, quæ prudentem iudicio ad rationabilem dubii depositionem sufficiant, aliàs quippe prudens iudicium conscientia formari non potest.

Minora autem fundamenta requiruntur pro scrupulosis [qui ex nullis vel levissimis fundamentis dubitant] quàm pro aliis: quibus ad deponendos scrupulos in dubio juris satisfacere de-

beret ille discursus à Poncio adductus loc. cit. Illud probabiliter licite operor, quod nulla ratione vel autoritate mihi constat esse malum, sed nullâ ratione mihi constat, hoc esse malum: ergo. In dubio verò facti sufficeret iste consimilis: Hoc probabiliter non feci, quod ex nullo fundamento mihi constat, me consensisse, voluntariè distractum fuisse, &c. ergo. Aliàs, dixi, abstinendum esse ab operatione, & obsequendum regulæ Juris. De qua infrâ,

ARTICULUS II.

An sufficiens titulus deponendi conscientiam dubiam in materia iustitiæ sit possessio?

SUMMARIUM.

1. Quid sit bona fidei possessio?
2. Fundamentum sententiæ negatiæ.
3. Affirmatiua probatur ex Regula 65. juris in 6.
4. Ex præsumptione in foro externo.
5. Ex absurdo vitiosi circuli.
6. Soluuntur fundamenta opposita.
7. Citata regula Juris non est limitanda ad forum externum.
8. Notatur inconsequentia in doctrina Fagnani.
9. Negligentia in deponendo dubio parit obligationem restituendi.
10. Possessor dubius quomodo sit obligatus abstinere ab usu & alienatione rei possessæ?

§. I.

Exponitur status questionis.

Definiunt Jurisperiti possessionem ex l. 1. & 3. ff. de acquirenda vel amittend. poss. quòd sit Detentio rei, corporis & animi iurisque adminiculo suffulta. Ubi ly corporis ad rei corporeæ possessionem pertinet: si verò possessio generationem accipiatur, prout comprehendit non tantum corporaliū, sed etiam incorporaliū possessionem, illa particula redundat. Iusta possessio, quæ sola ad deponendum dubium sufficere potest, præter voluntariam detentionem rei tanquam suæ, requirit bonam fidem cum iusto titulo, quales sunt donationis, emptionis, hereditariæ successione, &c. Est autem bona fides credulitas, quâ quis prudenter sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam, vel saltem non esse alienam. Alii brevius, sed minus distinctè vocant sinceram rei alienæ ignorantiam.

Hæc credulitas & existimatio in initio possessionis debet esse positiva, ita ut capiens possessionem rationabiliter existimet, se rem ejusmodi iusto titulo tanquam suam possidere. Unde si dubites, num res sit fortè aliena, possessio ipsi nequaquam suffragabitur, sed manebit malæ fidei possessor obnoxius restitutioni, veluti cum Molina Tract. 2. disp. 61. conclus. 1. docent communiter DD. eò quòd taliter dubitans non habeat aliquem probabilem titulum juris, sine quo non datur iusta possessio. In continuatione verò possessionis dubium exortum, quod adhibitâ diligentia vinci non potest, non tollit aut interumpit bonam fidem, sed ad illam salvandam sufficit, quòd possidens non habeat conscientiam

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

rei alienæ, sive quòd ipsi non constat, rem, quam possidet, esse alienam: neque enim omnia ad alicujus rei inceptionem necessaria requiruntur ad continuationem illius, veluti [omissis circumstantiis Philosophicis] patet in civili possessione, quæ conservatur per solam animi detentionem, cum tamen solus animus detinendi ad illam inchoandam nequaquam sufficiat. Ita communiter DD. deducunt ex C. fin. de præscript. ubi ad bonam fidem præscriptoris requiritur, ut in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienam. Ad eòque positiva solum existimatio de re tanquam aliena videtur excludi. & ex C. si Virgo 34. q. 1. ubi D. Augustinus dicit: *In jure prædiorum tam diu unusquisque bona fidei possessor rectissime dicitur, quam diu possidere se ignorat alienum; cum verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc iuste iniustus vocabitur.*

Quæritur ergo, an in casu, quo possessor dubitat de jure domini, seu proprietatis, nec potest adhibitâ diligentia dubium vincere, nihilominus ex titulo possessionis certam conscientiam deposito dubio formare possit, sibi licitum esse rem possessam retinere, illâ uti, alienare, &c.

Negativam secuti sunt Adrianus 4. de restitut. & Sorus l. 4. de just. q. 5. a. ult. his adducti fundamentis. Qui se exponit periculo utendi re non suâ, peccat contra iustitiam: sed possessor dubitans de jure proprietatis, si rem dubiam retinere, vel alienare veller, exponeret se periculo utendi re non suâ: ergo peccaret contra iustitiam.

Secundò. Cum super eadem re duo habent æqualem juris prætensionem, res est potius dividenda, quàm alterutri tota adjudicanda, ut servetur æqualitas: sed inter duos dubitantes de dominio rei, is, qui non est possessor, æquè habet jus dubium proprietatis, quam possessor dubius: ergo res non debet à possessore tota retineri, sed inter utrumque dividi.

Tertio. Si quis uti possidet re, quam cum dubio possidet, sequeretur, conjugem de valore matrimonii dubitantem, eodem uti, ad eòque debitum non tantum reddere, sed etiam petere posse: consequens pugnat contra c. Dominus: de secundis nuptiis, & C. inquisitioni de sentent. excommuni.

Q

Quartò.

Quartò. In dubiis tutior pars est eligenda, per c. juvenis, de Sponsal. & c. ad audientiam de homicid. sed tutius est restituere, quàm retinere, cum in retentione possit subesse peccatum, non autem in restitutione: ergo.

§. II.

Resolutio affirmativa.

3. **CONCLUSIO.** *Possessio legitima in materia Justitiæ est sufficiens titulus ad dubiam conscientiam de licita retentione, & usu rei possessæ praxice deponendam. Deducitur & probatur primò ex Reg. 65 in 6. In pari delicto & causa melior est conditio possidentis, eò quòd possessor ultra jus dubium proprietatis, in quo convenit cum domino incerto, insuper habet jus possessionis, quæ, cum suapte naturâ sit exercitium quoddam, & complementum dominii, pro possessore parit præsumptionem juris seu evidentem probabilitatem, quòd res possessa sit in dominio possessoris: atqui si possessor rem, de cujus dominio dubitat, teneretur alteri simul dubitanti restituere, vel cum ipso dividere, jam non esset melioris conditionis: ergo juxta illam regulam juris potest rem possessam licitè retinere, eaque uti.*

4. Secundò: Quoties forum externum non innititur fallæ præsumptioni, toties internum conformatur foro externo, uti tenent Sotus l. 4. de Just. q. 5. a. 3. Covarr. in c. cum esses. n. 7. de testam. Thom. Sanch. l. 1. de matrim. disp. 5. n. 20. aliique plurimi: sed in foro externo possessio legitima protegit possessorem, estque titulus sufficiens, ut præsumptus rei possessæ dominus protegatur in sua possessione, nec ad aliquam restitutionem, vel divisionem obligetur: ergo eadem possessio [nisi constet de falsitate præsumptionis] erit titulus sufficiens ad licitam rei possessæ retentionem & usum in foro interno, ac proinde possessor deposito dubio prudenter formabit talem conscientiam certam: *Qui præsumitur dominus rei, estque melioris conditionis præ omni alio competente, rectè retinet rem illam, e. q. utitur: sed ego jure possessionis præsumor esse dominus hujus rei, & sum melioris conditionis præ omni alio competente: ergo licitè retineo & uter re ista.*

5. Tertiò: Patet absurdum; nam pone, dubitantiem de dominio & proprietate rei teneri ad restitutionem & deserendam possessionem illius, ut sic in dubio sequatur partem tutiorem, seque eximat periculo peccati, cui restituet? utique illi, qui de jure proprietatis competit & contendit cum illo. Sed & iste versatur in dubio: ergo pariter vel tenebitur reciprocè restituere possessori, sicque ibitur in vitiosum circum, vel res erit ab utroque deserenda, aut danda pauperibus, quod nec jure præceptum, nec ullâ praxi receptum est.

Neque dicas cum Soto, rem esse dividendam: cum enim possessor habeat meliorem titulum & conditionem quoad totum, non est, cur illo titulo privari, & competenti dubio æquiparari debeat.

6. Ad primum vel nego minorem, vel distinguo majorem: Qui se exponit periculo solum materialiter utendi re aliena, peccat contra justitiam, nego majorem [quia habet sufficiens fundamen-

tum praxice judicandi rem esse suam] periculo formaliter utendi re aliena, concedo. Sed possessor dubitans de proprietate rei committere de periculo materialiter utendi re non suâ, transeat formaliter, nego minorem & consequentiam. Cum enim, ut suppono, dubium sit invincibile, æquivaler ignorantie invincibili; unde sicut re invincibili ignorantia retinens rem alienam, non peccat contra justitiam, nec formaliter se exponit periculo: ita neque cum dubio speculativo praxice deposito retinens rem alienam committit se formaliter periculo peccandi contra justitiam, vel utendi re alienâ.

Ad secundum distinguo majorem: Si omnimodè habeant æqualem juris præsentionem, res est dividenda, concedo; si in uno tantum genere, non in altero, sic nego. Sed inter duos dubitantes uterque habet jus dubium proprietatis, & in petitorio, concedo; jus dubium possessionis, seu in possessorio, nego. Nam quia ex parte possessoris accedit jus certum possessionis, quo alter caret, jam inæqualis & melior illius conditio efficitur præ conditione alterius; siquidem præsumitur esse rei dominus, quoque jus possessionis contrariis probationibus elidatur.

Ad tertium, concessâ sequelâ de dubio invincibili, dico, jura citata non adversari, quia loquuntur in casu, quo pars dubitans non est in possessione bonæ fidei, vel quia possessio fuit inchoata cum dubio; ita enim in c. dominus, est sermo de conjugio contracto nondum habuissent conjugis certitudine, ac proinde in ipso initio bona fide destituta: vel quia diligentia ad dubium deponendum nondum omnis tuit adhibita; licet enim c. inquisitioni indistinctè loquatur, ratio tamen cogit distinguere, ne bona fidei possessor ab usu rei suæ in perpetuum adhibere cogatur.

Ad quartum Respondeo, in dubio praxico, ubi est periculum formalis injustitiæ & peccati, & ubi pars altera non tantum comparative, sed adversative est tutior, tunc partem tutiorem esse eligendam: non autem in dubio speculativo tantum, cum adest ratio sufficiens illud praxice deponendi, sicque consequenter abest periculum formalis injustitiæ & peccati, de quo in sequentibus plura.

§. III.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò: Illam regulam juris quòd melior sit conditio possidentis, non tantum habere locum in foro externo judiciali, sed in foro fori, sed etiam in foro interno & conscientie, uti docet comm. DD. contra Prosp. Fagnanum, qui in c. ne imitatis n. 191 & 195. contendit, hanc regulam esse hauriendam ad forum fori, & in suam sententiam immeritò citat Sotum in Clavi Reg. l. 1. c. 13. nam is, licet in hoc conveniat cum Fagnano, quòd hæc regula solum in materia justitiæ locum habeat, tamen eandem expresse admittit & extendit ad forum conscientie, n. 9. & 14. idque probat a paritate fori externi. In nullo judicio, inquit, condemnatur uti le à giudice ad restituendam rem illam: ergo nec in foro interiori ad illius restitutionem obligatur. Ratione

tionem addit: *Quia iudex pronuntiando sententiam non confert jus in conscientia, sed solum explicat, quamvis pars habeat jus.* Et est sane tam contra communem doctrinam Auth. quam praxin fidelium, ut quis post sententiam in iudicio & foro externo pro se obtentam, remque, de cuius proprietate est dubius, sibi ob meliorem possessionis conditionem adjudicatum, nihilominus debeat & teneatur in conscientia sese re ad iudicium abdicare, eamque vel cum colligante vel pauperibus dividere: quod tamen manifestè sequitur ex opinione Fagnani: non enim in foro conscientie possessori suffragatur illa regula, quod in dubio melior sit conditio possidentis, sed iudicè sequenda est illa: In dubiis tutior pars est eligenda: cum ergo tutius sit rem dubiam dimittere sine periculo peccati, quam retinere cum periculo peccati, etiam post sententiam iudicis, res possessa foret dimittenda à dubio domino.

Nec videtur satis consequenter loqui prædictus Author, cum seq. n. 227. ubi concessit, quod possit aliquis sequi opinionem probabiliorē etiam minus tutam, hanc causam subiungit: quia tunc nullo modo versamur in dubio, sed fleximur ad illud extremum, quod probabilius iudicamus, & sumus moraliter certi, nam & opinio vehementer pro certitudine habetur, &c. Sacri quoque Canones non ardeant ad electionem sententiarum opinionis, nisi cum res dubia est, ut contingit, cum quis iudicat, utramque opinionem æquè probabilem. Ita prædictus Author, Subsumo: sed is, qui pro se habet jus possessionis, habet pro se opinionem probabiliorē; nam legitima possessio, quæ suâ naturâ ad complementum & signum dominii, est magnum argumentum pro alterutro rei dominio; ergo tunc poterit seposito dubio habere vehementer opinionem, quod res sit sua, neque in conscientia ardebitur per SS. Canones ad electionem securioris opinionis; quippe cum pro utraque parte non stet æqualis probabilitas, ob prævalentem titulum possessionis.

Inferes secundò: Si quis in inceptione possessionis speculativè dicit, num res sit sua; si ve, dubio in continuatione possessionis exorto, omittat debitam diligentiam pro assequenda veritate, eaque negligentia causam ponat, ut deinceps in veritatis notitiam venire non possit, teneri ad restitutionem rei pro quantitate dubii; siquidem ex tali dubio & negligentia constituitur possessor malæ fidei: ut cum Molina tom. 3. tr. 2. disp. 722. Laymann tr. 1. c. 5. §. 3. & communi tradit Less. l. 2. c. 14.

Inferes tertio: Possessorem, antequam pro assequenda veritate debitam diligentiam adhibuit, teneri ab usu & alienatione rei possessæ abstinere; nisi fortè sit paratus pretium illius usus deducis expensis domino compensanti, qui rationabiliter de tali usu invitus esse non potest, restituere, ut habet Vasquez 1. 2. q. 66. c. 7. Retinebit tamen licitè rem possessam, quamdiu durat veritatis investigatio, per modum depositarii: sic enim utiliter gerit negotium domini, qui proinde ad talem retentionem invitus esse non potest. Si verò post debitam diligentiam adhibitam dubium vinci, & certus Dominus reperiri non possit, rem possessam non modò licitè retinebit, sed etiam alienabit, & utetur pro libitu; cum alioqui legitima possessio ipsi non tantum foret inutilis, sed onerosa & perniciofa; cum multa sint, quæ absque detrimento diu conservari non possunt. Tenebitur tamen venditor rei dubiæ, emptorem admonere de dubio, quando est periculum, ne certus ei Dominus compareat; ex tali quippe dubio res efficitur periculo restitutionis obnoxia, adeoque vitiosa, & minori pretio æstimabilis, veluti tradunt Molina loc. cit. & Sair. Clav. Reg. l. 10. tract. 2. c. 29. quod si possessio est nullius, res est dividenda inter dubitantes juxta proportionem dicitur, aut si sit indivisibilis, uni adjudicanda cum obligatione, ut aliis ex inde satisfiat. Ut habent Less. l. 2. c. 6. dub. 3. Hldefons. Cæsaraug. disp. 209. dub. 5.

ARTICULUS III.

An melior sit conditio possidentis extra materiam iustitiæ?

SUMMARIUM.

1. Variæ rationes pro sententia negativa.
2. Argumenta Prosperii Fagnani.
3. Objicitur absurditas litigii de possessione inter DEUM & hominem.
4. Alia quedam absurda.
5. Auctoritas SS. Canonum & D. Augustini.
6. Lex Divina alicui non obligat nisi mediante conscientia.
7. Exponitur iudicium ac forum conscientie.
8. Eiusque analogia cum foro externo.
9. Quomodo vox possessionis rectè applicetur libertati & innocentie?
10. Statuitur sententia tribuens locum possessioni, tam intra, quam extra materiam iustitiæ.
11. Offenditur identitas rationis intra & extra materiam iustitiæ.
12. Ex æquitate naturali derivata.
13. Prima regula cognoscendi, pro quo stet possessio. R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.
14. Altera regula pro dubio facti.
15. Corollaria ex hinc deducta.
16. Possessio accipitur strictiori & latiori sensu.
17. Pars, pro qua fiat possessio, non est minus intus adversative.
18. In instanti usus rationis tenetur servare præcepta, quæ sunt debite intimata.
19. Jura Loquentia de possessione rectè extenduntur ad forum internum.
20. Idem est allegare præsumptionem ac possessionem innocentiam.
21. Exponitur auctoritas, & mens D. Thomæ.
22. Offenditur, absurditates à Fagnano objectas falli in supposito.

§. I.

Fundamenta sententiæ negantis.

Sententiam negantem tuentur & acriter propugnant

Q 2

pugnant poss. Valquez, Saïrum, Salas, Vincent. Baron. Fagnanus in c. *ne innitatis* à n. 191. Mercorus part. 2. a. 29. Gonet in dissert. de opinione prob. a. 5. eorumque fundamenta sunt à ratione, primò: Possessio est de rebus, quarum haberi potest dominium, sed res, quarum haberi potest dominium, pertinent ad materiam justitiæ: ergo etiam possessio pertinet ad materiam justitiæ. Secundò: Vera possessio fundatur in vero jure: sed jus continetur intra objectum justitiæ: ergo etiam possessio. Tertio: Ideo in materia justitiæ melior est conditio possidentis, quia in dubio possessor præsumitur esse verus dominus, nam ut plerumque, qui rem suam alienat, solet eam tradere, & verum dominium in ejus possessionem immittere: unde, si quis rem possidet, signum est, eandem non fuisse alienatam: atqui in aliarum virtutum v. g. religionis, temperantiæ materiâ possessio non facit præsumptionem pro parte, quæ possidet, cum non sit ibi signum alicujus juris & domini: ergo tunc possessio non facit meliorem conditionem possidentis.

2. Oppugnat secundò favorem possessionis pluribus argumentis Prosper Fagnanus d. loc. Prætor, inquit, tuetur possessorem in interdico, *ut possidetis*, vel *retinenda*, ne in sua possessione turbetur à litigatore l. 1. in princip. ff. *ut possidetis*. Vel cum duo contendunt de possessione. Bar. in d. l. §. *hujus autem interditi*: ergò solum habet locum in materia justitiæ, quæ est ad alterum, non in aliis virtutibus, quæ sunt in ordine ad se ipsum, quia nemo à se ipso turbatur, aut secum litigat. n. 194.

Secundò non est auditum apud Jurisconsultos, ut in criminalibus allegaverint possessionem: ergo multò ineptius allegaverint in foro conscientiæ, n. 205. Imò, quæ pertinent ad illam regulam de favore possessionis, nullatenus verificantur in foro conscientiæ, sed in materia justitiæ, & in foro fori duntaxat, ac propterea in dubio tenetur quis sequi partem tutiorem tantummodo in foro penitentiali, vel quasi penitentiali, &c. n. 196.

Tertio: Idcirco magnum est discrimen inter judicium forense, & judicium conscientiæ; in illo nemo debet condemnari, nisi appareant manifesta indicia de malicia alicujus: *At verò circa seipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem secundum illud Job. 9. Verebar omnia opera mea, eò quòd cum debemus nostris malis adhibere medium, expedit ad hoc, ut securius remedium opponatur, ut supponatur id, quòd est deterius*, ut habet D. Th. in 2. 2. q. 60. a. 4. Ita n. 199.

Quartò: Pro certa lege stat possessio: sed est certa lex juris Divini naturalis, quo prohibemur nos exponere periculo offendendi DEUM: ergo pro ista lege stat possessio: sed quoties est dubium, ex parte minus tuta est periculum offendendi DEUM: ergo tunc semper est possessio pro lege verante susceptionem talis periculi.

Quintò: Tunc stat possessio pro DEO & lege, quando in ipso instanti, in quo homo incipit habere usum rationis, & esse doli capax, reperitur ligatus nexu obligationis servandi præcepta Divinæ legis, & consequenter non se committendi periculo illius legis violandæ: sed hoc fit: ergo.

Sextò. Sicut ex duobus malis, quorum unum necessarìo est eligendum, minus eligere debemus, ita ex duobus objectis, quorum unum certò non est peccatum, alterum verò dubium, an sit peccatum, eligendum est illud, quòd certò non est peccatum. Et ideo illa regula, in dubiis ratio pars est eligenda, fundatur in jure Divino naturali prohibente periculum peccati.

Adducit præterea tertio varias opposita sententiæ absurditates, ut vocat, & ineptias: etiam si admitteretur ista possessio, tamen non esset illi pro libertate, sed pro obligatione, quia primò de possessione ageretur inter DEUM & hominem, & quis inter utrumque erit iudex? & quomodo succurreretur DEO succumbenti?

Secundò. Regula de possessione locum habet, cum partium jura sunt obscura, ac quomodo potest aliquid esse obscurum ex parte DEI, cui omnia sunt plana & aperta? c. *Deus omnipotens*, 2. q. 1.

Tertio: Possessio titulata quantumcumque junior præfertur non titulata, quia magis est justificata per punctum rationis: c. *licet constam de probat.* possessio autem ex parte DEI est antiquior, semper conjuncta cum titulo iusto, & bona fide: quia *Domini est terra, & plenitudo ejus*, Psal. 23. quomodo igitur homo possessionem allegabit contra DEUM?

Quartò. Illa regula non obtinet, nisi cum jura utrinque paria sunt. l. *in pari causa*. ff. de R. I. c. *in pari*. eodem in 6. sed impossibile est, ut sit par causa inter DEUM præcipientem, & libertatem hominis, cum nemo possit ipsius resistere voluntati. Genes. 30.

Quintò. Interdictum *retinende* non datur contra supremum Superiorem. Menoch. de *reim.* q. 2. & quis DEO superior?

Sextò. Datur vero possessori quantumcumque injusto, quia etiam prædo est in sua possessione manu tenendus. c. *in litteris cum materia de ressit spoliati*. l. *res alienas*. C. *de rei venditi*. Poteritne verò cadere in mentem hominis, ut quis contra DEUM sit manu tenendus in possessione peccati mortalis? Hæc ferè Fagnanus n. 205.

Alia tandem absurda videntur sequi ex hac sententia. Primò: Quòd sit licitum operari cum conscientia absolute dubia, quòd est contra manifestum SS. Canonum testimonium, & unanimum Theologorum & Canonistarum sententiam, inquit cit. Fagnan. Secundò: Illud celeberrimum præceptum, quòd in dubiis tutior pars sit amplectenda, exponeretur Inutilis, cum vix unquam daretur casus, in quo quitereretur eligere partem tutiorem. Tertio: Ex hac sententia & ratione fiunt plures inconvenientes decisiones plurimarum gravissimarum questionum, ut quòd voti dubius non teneatur voto; quòd dubius de excommunicatione, non teneatur se gerere pro excommunicato; dubius de reservatione possit absolvere; dubius de commissione peccati possit illud reticere; dubius de media nocte Jovis possit carnes comedere, &c.

Potissimum verò fundamentum negandi extensionem possessionis extra materiam justitiæ peritur ex doctrina SS. Canonum, ubi pro variis decisionibus in dubio tam juris quam facti tradi-

tur & adhibetur relicto favore possessionis illa regula: quod in dubiis debemus eligere partem tutiorem. Sic Primò: in c. Ad audientiam de homicid. cum dubitaretur, an quidam ex occasione vulneris decessisset, statuitur, ut presbyter, qui vulnus infixerat, non ministrat in SS. Ordinibus, cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.

Similiter secundò, in c. Significasti x8. eod. in dubio homicid. dicitur, quod tanquam homicida debet haberi sacerdos, & à sacerdotali officio abstinere: Cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare: pro eo, quod in altero nullo, in reliquo verò magnum periculum timeatur.

Et tertio in c. Peritio penult. eodem, Sacerdoti de homicidio dubitanti præcipitur, ut à ministerio altaris reverenter abstinere, cum sit consultius, in hujusmodi dubio abstinere, quam temerè celebrare.

Quartò: in c. illud. de Cler. excomm. deciditur, Episcopum, qui solà famà se noverat excommunicatum & de sententia contra se lata dubitabat, debuisse se potius abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertrahere, quia in dubiis via est tutior eligenda.

Quintò. In cap. Juvenis. de Spons. & Matr. Pontifex dissolvit matrimonium juvenis inicum cum consobrina illius puellæ, quam prius septem annos duxerat, addita ratione: Quia in his, qua dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.

Sextò. In c. Inquisitioni, 44. de sent. excomm. conjunx dubitans de impedimento conjugii permittitur reddere, & prohibetur exigere debitum matrimoniale.

Septimò. In Clement. Exivi, §. item quia. de verborum significatione. Clemens V. motà quæstione, & dubio juris à Fratribus Ordinis Minorum, utrum ad omnia illa, quæ verbis præceptivis in sua Regula continentur, tanquam de præcepto teneantur? in Concilio Viennensi ita respondit:

Attendentes, quod in his, qua anima salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientie, pars securior est tenenda &c. expedit, quod ad ea, sicut ad equipollentia præceptis se noverint obligari, qua hic inferius annotantur: ergo non obstant possessione innocentie, quam in primis 4. casibus presbyteri & Episcopus allegare poterant, vel possessione matrimonii, quæ stabat in 5. & 6. casu, vel possessione libertatis, quam prætereundere poterant Religiosi D. Francisci, voluit Sum. Pontif. etiam contra possessionem sequendam esse illam regulam, in dubiis tutior pars est eligenda.

Accedit octavò Authoritas D. Augustini c. signis, de penit. dist. 7. dicentis: Tene certum, dimittite incertum. Sed pars tutior est certa, minus tuta incerta de violatione legis: ergo relicto favore propriæ libertatis hæc relinquenda, illa est eligenda. Hæc sunt potissima, quæ reperire potui, fundamenta sententiæ negantis, quibus hoc epiphonema superaddit præcitat Fagnanus: Ineptissima est hæc contentio de prioritate possessionis inter DEUM & hominem, & ideo nihil obstat regula SS. Canonum de optione partis tutioris.

§. II.

Fundamenta prænotanda pro sententia affirmante.

UT sententia affirmans bene intelligatur, prænotandum est primò ex jam dictis; quod, licet honestas operationis moralis principaliter pendeat & reguletur ab æterna DEI lege, proxima tamen regula & immediata lex sit lex & regula conscientie, ita quidem, ut voluntas seu potentia cæca nullatenus ab ulla lege actu obligari possit, nisi quatenus ipsius obligatio à conscientia proponitur & intimatur voluntati: unde si obligatio per judicium conscientie proponatur certa, certa erit, si representetur dubia, erit dubia: parum enim refert ad honestatem operationis, quid lex ipsa in se jubeat, nisi debite sit operanti per conscientie dictamen promulgata: Hinc in omni Theologorum doctrina ex D. Aug. & D. Th. deducta dantur infideles negativi, & hæretici materiales; quia, licet fides omnibus ad ultis non tantum sit de necessitate præcepti, sed quoque aliquos articulos etiam de necessitate medii, tamen defectu sufficientis notitie & promulgationis ex parte conscientie, aliqui coram fidei inculpate ignorant, suntque infideles negativi; aliqui nonnullos fidei articulos ad salutem non tam explicitè necessarios inculpate nesciunt, vel non credunt, suntque hæretici materiales.

Ex hoc notandum secundò. Cum vis proxima declarandi & imponendi obligationem voluntati resideat in conscientia, hinc merito, per analogiam ad judicem externum, conscientiam dici judicem nostram actionum, ipsius consultationem & sententiam rectè appellari forum, judicium, tribunal internum: quia, sicut in foro externo Judex, cognito delicto & sufficienter probato per actorem, reum obligat ad certam pœnam, ita conscientia in foro interno ex sufficienti cognitione legis voluntatem obligat ad culpam. Unde ulterius sequitur, quod, sicut, actore non probante contra innocentiam rei, merito reus à judice absolvitur, & tamdiu præsumitur innocens, donec probetur nocens, ita quamdiu non sufficienter probatur obligatio legis contra libertatem voluntatis, tam diu conscientia rectè judicet pro libertate voluntatis: quia, sicut homo jure naturæ possidet suam innocentiam, h. e. [quicquid sit de termino possessionis] habet æquam prætensionem ut pro innocenti habeatur, quamdiu illa prætensio contrario delicto non eliditur; ita non minus ex parte voluntatis possidet libertatem, h. e. habet æquam prætensionem liberè ponendi vel omitendi operationem absque imputatione ad culpam, quamdiu per contrariam obligationem illa libertas ad positionem vel omissionem actus non restringitur. Præterea sicut in dubio delicti possessio innocentie prævalet, nec ad innocentem pœnâ damnandum satis est, delictum à parte rei fuisse commissum, & aliis cognitum, sed requiritur, ut ipsi judici sententiam ferenti sit legitime notum; ita pariter ad auferendam voluntati liberam operandi facultatem non sufficit, obligationem legis esse à parte rei, eamque à DEO vel Angelis cognosci; sed necesse est, eam in conscientie judicio esse cognitam; cum in hac causa ipse DEUS potestatem judicandi conscientie commiserit, veluti in conscientia invincibiliter erronea ad oculum patet, ut rectè expendit Gabriel Beatus de consc. dubia,

- bia, q. 18. quæ omnia sanè sunt tam clara, ut probatione non egeant.
8. Notandum tertio: Quemadmodum in iudicio externo iudex inter reum & actorem medius, utriusque partis momenta expendit; sic in interno iudicio, quod practicè consultatione peragitur, diversas notitias seu partes litigantes in dubio sibi invicem opponi, quarum una præterdit voluntatis nativam libertatem, altera legis obligationem, v. g. dubitas dubio facti num 21. ætatis annum expleveris, & ex consequenti etiam dubio juris, num lege jejunii tenearis? adest ex una parte notitia libertatis, quæ præterdit voluntatem lege jejunii hæctenus solutam, & in hac possessione libertatis imperturbatam; ex altera parte adest alia notitia intellectus proponens legem jejunii ætate competente servandam. Has inter confligentes notitias prudens ratio seu iudex, arbitra, & dictatrix operum utriusque partis momenta & argumenta expendit, perque ultimam conscientiam sententiam dubium practicè tollit, ac vel in favorem legis obligantis, vel favorem libertatis, juxta naturalis, ac Divini luminis instinctum litem decidit, ut mirer summopere, mirari viros doctos, & explodere istud conscientie iudicium, quo de obligatione legis, & retentione libertatis disceptatur, quasi sit iudicium sine iudice, in quo DEUS actoris, homo rei partes subeat, suæque possessionis obtentu jus Divinum elidat, an eludat? Non ita crudè loquuntur, & sentiunt viri doctissimi: DEUM iudicem & Auctorem omnium adorant & venerantur, actorem non expetunt, coram quo *non iustificabitur omnis vivens*. neque ipsi de suo iure litem movent, cuius si adfit sufficiens notitia, omnes colla submitunt, & suavi iugo suam subijciunt libertatem: sed hoc demum volunt, quòd, cum sciant, non minùs ipsam agendi libertatem, quàm legis obligationem à DEO esse, in dubio, an libertati naturaliter possessæ prævaleat legis obligatio, in fluctuantis utrinque rationis consilio, aut iudicio, prudens conscientia, imò DEUS per conscientiam tanquam substitutum iudicem sententiam ferat, & regulas honestæ operationis definiat. Hinc
9. Notandum quartò: Nomen possessionis latiori sensu, appositè tamen accipi à sententiæ affirmantis Authoribus, & transferri ad possessionem innocentie & libertatis. Scimus ab initio possessionem à pedum positione dictam à Civilibus in rebus solum corporeis agnitam, sed ob paritatem rationis à Canonistis, fatente Fagnano, rebus etiam & juribus incorporeis applicatam fuisse. Cur ob eandem rationis paritatem, imò identitatem, non liceat hanc ipsam vocem [siquidem cum Criticis de vocibus contendendum est] etiam innocentie & libertati hominis applicare? Dicitur quis esse dominus & possessor fundi, beneficii, famæ, honoris, quamdiu nullum obstat factum, jura, leges, quæ dominium aut possessionem istam infirmant; teneat quippe hæc omnia tanquam sua, si non corporis, saltem animi iurisque adminiculo suffultus. Et non poterit dici Dominus & possessor innocentie, & libertatis suæ, quando illa nullò contrariò factò, vel iure infirmatur; siquidem illam penes se habet, teneat

jure naturæ contraditam? Voca, per me licet, retentionem, habitationem, idem in re sentimus, voce discrepabimus. Esto sanè, quæ circa corpoream possessionem hinc inde jura decernunt, huic, de qua loquimur, possessioni non omnia quadrent: quis nescit, in quibusdam alias esse rei corporeæ, ac incorporeæ conditiones? sunt igitur aliqua possessioni rei corporeæ propria, quòd injustus possessor & prado usque ad plenior cognitionem sit manutenendus] ubi tamen ex eodem rationis lumine & dictamine naturalis æquitas tam in incorporeæ & spirituali, quàm corporeæ jura, tam in interni, quàm externi fori iudicium pariformiter derivatur, quis retet, voces, & jura possessionis corporeæ, etiam innocentie & libertati adaptari, & exinde, quid sit & æquum sit, decerni?

§ III.

Propositur Naturæ sententiæ affirmantis.

Dicit itaque præjactis hæc fundamentis affirmantis sententiæ, etiam extra materiam justitiæ huic regulæ locum esse: *in dubio melior est conditio possidentis*, ita, ut ex illa deposito dubio recta conscientia formari, & pars quæ videbatur speculative minùs tuta, in praxi tanquam tuta eligi possit: e. g. dubitas invincibiliter intra materiam temperantia, num sis obligatus lege jejunii, eò quòd nescias, utrum vigelimum primum ætatis annum expleveris, potes talem formare conscientiam: in dubio melior est conditio possidentis: sed in hoc dubio lex non est in possessione obligationis; ego sum in possessione quietæ meæ libertatis: ergo mea conditio est melior: & sic deposito dubio concludo: ergo jejuniare non obligor. Hanc sententiam in terminis tenet Navarr. Suar. Sanch. M. Jo. Martiner de Prado l. 1. q. q. moral. c. 1. q. 9. n. 3. Joan. d. S. Thoma disp. 12. a. 4. n. 8. Herinek disp. 4. q. 4. Rosmer de conscientia dubia. Celarung. disp. 209. dub. 9. referens plurimos DD.

Ratio est primò; Eadem est ratio possessionis tam extra, quàm intra materiam justitiæ, tam in foro interno, quàm externo; ergo si titulus possessionis intra materiam justitiæ, & in foro externo est sufficiens ad deponendum dubium, etiam est ad hoc sufficiens extra materiam justitiæ, & in foro interno, quod externo conformatur, quando istud ex æquitate procedens non imputatur falsæ præsumptioni. Et si in materia justitiæ potest titulus possessionis partem speculative minùs tutam, facere practicè tutam, poterit hoc ipsum extra materiam justitiæ. Antecedens probatur. Ideo intra materiam justitiæ in pari causa melior est conditio possidentis, quia possessor præteritulum juris utrinque dubium, habet pro se certum titulum possessionis, ac proinde præsumitur pro ipso; unde si re possessa privaretur, committeretur inæqualitas: sed etiam voluntas in causa legis dubiæ habet certam possessionem suæ libertatis, in casu delicti dubii habet certam possessionem suæ innocentie, & utrobique pro ipso vel libertate, vel innocentia præsumitur, donec vel inde obligatio legis, vel isthinc delictum probetur: ergo præter dubiam obligationem habet pro se certam possessionem, sicque ex dictamine

luminis naturalis, quod duplex vinculum magis stringat, quam simplex, & duplex titulus præponderet simplici, melior erit conditio voluntatis suam libertatem possidentis, & si in dubio proprietatis possessor non est spoliandus re. possessa, voluntas quoque in dubio obligationis non est spolianda suâ libertate.

12. Ratio est secundò: quod prædicta Regula funderur in æquitate naturali, quæ æqualiter habet locum tam extra quam intra materiam iustitiæ, in foro tam interno quam externo; dicitur quippe æquitas naturalis, quod in dubio nemo præsumi debet obligatus. gloss. in c. cum juri, de regulis juris in 6. quod causa incerta non parit certum effectum, nec proinde lex dubia, de cuius existentia, promulgatione, extensione dubitatur, certam obligationem: quod debitum incertum non exigit certam solutionem, quod factum non præsumitur, donec probeatur, quod cum partium jura sint obscure, Reo potius est favendum, quam actori, & c. quæ omnia dictamina in hac una regula, melior est conditio possidentis, implicitè continentur. Nam da dubitantem, sitne voto obligatus, quia invincibiliter dubitat, num votum emiseric? Respondent plerumque Authores negatim: rationem rogati dicunt, quia factum non præsumitur, donec probeatur: votum est aliquod factum voventis: ergo, nisi probeatur, non præsumitur. Rursus: Lex incerta tam parum gignit certam obligationem, quam causa incerta certum effectum: sed votum dubium est lex & causa incerta: ergo. Item debitum incertum non exigit certam solutionem: sed voti dubii est incerta obligatio: ergo. Nil aliud, quam paulò post compendiosius volunt, qui dicunt: non te tenei voto dubio, quia tu es in possessione libertatis, & pro te stat præsumptio. Unde enim es in possessione, nisi quia certum est tibi competere & comperisse libertatem operandi; incertum illudne existat, quod obesse potest libertati? Ans: In favore libertatis est periculum peccati, ideoque ceu pars non tuta deserenda. Contrà: In materia iustitiæ non est periculum peccati formalis, si titulo possessionis rem retineas, licet illa fortè sit aliena: ergo etiam in materia Religionis & voti non peccabo, si ex titulo possessionis libertatem retineam, tamen fortè à parte rei eandem meam libertatem voto constringerim.

13. Dubium tamen est, unde extra materiam iustitiæ cognosci debeat, pro qua parte stet possessio, pro lege, an pro libertate? pro delicto, an pro innocentia? Duplicem viam tradit P. Rosmer de consc. dub. quarum una magis deservit in dubio juris & legis, altera in dubio facti. Prima est, attendendum esse, an constet, id, quod inducere potest obligationem, esse positum, antequam dubium sit exortum, vel non? si prius, tunc eius obligationi non derogatur per subsequens dubium, sicque possessio stat pro obligatione legis, quæ certò existere præsumitur. Si posterius, possessio stat pro libertate, cui certum onus & obligatio ex incerta causa, lege, voto, imponi non debet. E.g. dubitas de solutione voti, quod emiseric non dubitas? possessio stat pro voto, quia eius existentia antecedit tuum dubium, ac proinde teneberis implere votum: si verò dubi-

tas, num votum emiseric, possessio est pro tua libertate, quæ dubium antecedit, & tunc non teneberis ad voti solutionem.

Alteræ regula potissimum pro dubio facti tradita à Th. Sanch. l. 1. in decal. c. 16 n. 13, est, pro illo stare possessionem, pro quo stat juris præsumptio, quæ solet pro illo stare, qui onus probandi transfert in Adversarium. Cujus regulæ ratio est: quod ille prudenter judicat, se esse in legitima possessione rei, vel actionis alicujus, ad eodumque suam conditionem esse meliorem, qui pro se habet tam verisimilem conjecturam, quæ meliori probatione non adducta, habeatur pro veritate, & sufficiat ad faciendam fidem: sed talis est præsumptio juris: ergo. Quod etiam juris præsumptio stet ex illa parte, cui non incumbit probatio, inde est, quod ipsa præsumptio habeatur pro veritate; quæ de causâ probatio seu ostensio veritatis incumbit alteri parti, quæ pro se non habet juris præsumptionem.

Unde primò dicitur quis esse in possessione suæ innocentie, donec delictum probeatur, delictum enim & defectus non presumitur, sed demonstrari debet, & affirmanti incumbit probatio l. 2. ff. de prob. Secundò in dubio editi voti, vel juramenti, vel conditi testamenti non censetur aliquis vovisse, jurasse, testamentum condidisse; nam factum in dubio non presumitur, sed demonstrari debet, ut colligitur ex l. in bello. §. facta. ff. de capiviv. Tertiò, qui vovit, dubitat verò, an cum sufficienti deliberatione, vel animo se obligandi voverit, tenetur voto; quia tunc uti præsumptio, ita possessio est pro voto; juxta R. l. quæ habetur in gloss. l. in contrabenda ff. de regulis J. factum in dubio præsumitur, si illud de jure faciendum erat, aut communiter fieri solet, aut ex natura inest. Sicuti in posito casu ex natura & communi humano modo operandi inest, ut homo in gravi negotio, & oneris susceptione, uti est votum, deliberatè procedat. Si porro de possessione & præsumptione utriusque sit dubium, quod vinci, aut rationabiliter deponi non possit, tunc recurendum est ad Regulam juris: In dubiis pars tutior est eligenda. de qua infra §. 4. n. 17. Huic sententiæ tanquam veriori & dictamini rationis undequaque consentaneæ, & in praxi securæ subscribo. Nunc contraria fundamenta discutiemus.

§. IV.

Solvuntur fundamenta sententiæ negantis.

Ad argumenta ex ratione petita & ad l. II. & 16. III. Respondeo, quod possessio strictius accepta sit de rebus, quarum haberi potest dominium, etiam strictè acceptum: possessio communiter accepta sit de rebus, quarum haberi potest dominium, etiam latius acceptum; sicque homo est suo modo dominus & possessor propriæ libertatis & innocentie: sic pariter possessio strictè accepta fundatur in vero & riguroso jure, quod opponitur debito legali, idque continetur intra objectum iustitiæ: possessio communiter accepta fundatur in jure latius, & communiter, quod opponitur debito morali, & pervagatur materias omnium virtutum. Possessor possessione strictè accepta præsumitur verus dominus dominio stri-

atē sumpto : possessor verò possessione latē sumpta præsumitur verus dominus dominio latē sumpto : nam sicut ideo possessor rigorosè sumptus præsumitur verus dominus dominio rigoroso, quia possessio est effectus & signum domini, sic ideo possessor innocentie & libertatis præsumitur esse latē dominus, h. e. constitutus in potestate se gerendi pro innocente, & liberè operandi: quia possessio actualis innocentie vel libertatis consequetur hanc naturalem facultatem; ideoque est signum ipsius.

17. Ad quartum & sextum fundamentum Fagnani negatur suppositum, quòd pars, pro qua stat possessio, sit minus tuta (si ly tuta sumatur adverbativè pro *non tuta*, ut sumi debet) quòdque in illa sit periculum peccati formalis, seu formaliter operandi contra legem: nam titulus possessionis ritè intellectus & explicatus, fundatus in lumine & æquitate naturali est sufficiens, ut quis prudenter deposito dubio formet certam conscientiam de honestate & rectitudine operationis.
18. Ad quintum distinguo majorem: Tunc stat possessio pro lege, quando homo in instanti usus rationis obligatur servare præcepta Divinæ legis, sibi debitè promulgata, & intimata, concedo; secus, nego. Sed obligatur tunc ad illa servanda, quatenus sunt debitè intimata, & promulgata, concedo; secus nego minorem & consequentiam.
19. Ad 1. impugnationem Fagnani, nego consequentiam. Licet enim jura, quæ de possessione loquuntur, principaliter respiciant materiam justitiæ, & forum externum; quia tamen descendunt ex lege, ratione & æquitate naturali, quæ non tantum militat pro foro externo, sed etiam interno, non tantum pro materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum; idcirco quando nulla subest falsa præsumptio, locum etiam habent in foro interno, & materia aliarum virtutum, in qua tamen nullus sit strepitus fori contentiosi, est tamen quandoque litigium inter oppositas notitias & rationes fluctuantis & dubitantis conscientie, modo explicato in §. præced.
20. Ad secundum dico: Cùm reus in criminalibus pro se allegat præsumptionem innocentie, donec probetur nocens, idem est; ac si pro se alleget possessionem innocentie. Hoc ipsum intelligimus in foro conscientie. Quòd verò Regula de favore possessionis soli foro externo, altera de sequenda parte tutiori solo foro interno sit præfixa, neutriquam tolerari potest. Non illud prius: quia, ut dictum, forum internum conformatur externo, cum istud non innotitur falsa præsumptioni. Non hoc posterius: quia si ullibi, certè in tribunalibus judicium pars tutior & probabilior est eligenda, ut dicitur infra. Unde hoc pronuntiatum non modo non tutius, aut probabilius, sed ne quidem tutum, vel probabile existimo.
21. Ad tertium, nego adductum discrimen inter judicium forensè & conscientie; quòd in judicio conscientie debeamus dubia interpretari in peiorem partem. Authoritas S. Th. est extra propositum, & non eget explicatione, sed fidelis relatione: nam cit. q. 60. a. 4. cùm quæsiisset in titulo artic. *Utrum dubia sint in meliorem partem*

interpretanda (& quæstio est de dubiis circa proximum) objecerat sibi tertio loco: *homo debet diligere proximum, sicut seipsum: Sed circa seipsum debet dubia interpretari in peiorem partem, secundum illud Job. 9. Verebar omnia opera mea, &c. ergo. Et subjicit: sed contra est, quod Rom. 14. super illud: Qui non manducat, manducantem non judicet, dicit Glossa: Dubia in meliorem partem sunt interpretanda. Deinde ad objectionem tertio loco positam Respondet: interpretari aliquid in deteriorem vel meliorem partem contingit dupliciter: uno modo per quandam suppositionem; & sic cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id, quòd est deterius: quia remedium, quòd est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum: (& ita viri boni volentes efficax remedium adhibere pro peccatis commissis, timent cum B. Job, ne etiam in bonis artibus à debita rectitudine deflexerint. Sed quid hoc ad rem?) alio modo interpretatur aliquid in bonum vel malum, diffiniendo vel determinando: (& hoc est ad rem) & sic in rerum judicio debet aliquis nisi ad hoc, ut interpretetur nunquamque secundum quòd est. Nec nos aliud dicimus, vel volumus fieri in judicio conscientie.*

Porrò ad lamentationes Fagnani & absurditates res objectas Respondeo, illas omnino vagari extra propositum, & in supposito falli: Reos nos agnoscimus coram DEO, non ad ore, sed iudicis: non agitur inter DEUM & hominem, sed inter legem dubiam & libertatem: neque enim sunt dubia DEUS est, sed statutum, de quo ipso quæritur, si tunc hic & nunc verè lex DEI, aut à Divina lege descendens. Si enim liquidum foret, DEUM hoc velle, præcipere, imperare, frustra nec longe grandis peccator nostram opponeremus libertatem, sed cùm hoc ipsum veretur in dubio, detitine de facto Lex DEI hic & nunc me obligans, DEUS ipse prudenti conscientie judicio hoc relinquit determinandum, & quòd ista prudenter judicaverit, ipse quoque suo Divino calculo ratum ac firmum habet. Unde in hoc Conscientie tribunali DEUS quoque judicium exercet, mediante conscientia nos obligans, turpia vitans, discernens dubia, honesta decernens. Sit v. g. pictor dubitans, an die festo licitè possit pingere? Scit esse legem DEI & Ecclesie, abstinendum ad opere servili; & si sciret pingere esse opus servile, frustra contra DEUM, ejusque legem suam obtenderet libertatem. Sed quia nescit, an pingere sit opus servile, pariter dubitat, an verè DEUS die festivo prohibeat actum pingendi: neque controversia vertitur inter DEUM & pictorem, quasi pictor velit excutere legis Divinæ jugum, aut litem movere de potestate jubendi (quod stultissimum æquè foret, ac impiissimum) sed inter legem ex una parte dubiè representatam, & libertatem ex altera parte de sui possessione certò representatam. In quo litigio conscientie munus est litem terminare, ex quid honestè agendum sit, definire, quòd si rectè & prudenter fecerit, DEUS ipse fecisse censetur.

Ad 1. Itaque Index in hac controversia est conscientia. DEO apud se nihil est obsecraturum. (ad 2.)

(ad 2.) est tamen nobis saepe obscurum, quid DEUS velit. Lex quoad se & ex parte DEI cognoscentis potest esse certa, quoad nos tamen incerta: nec ideo obligabit, nisi nobis sit sufficienter cognita & promulgata. (ad 3. & 5.) non sumus Titanes, qui DEO de cœli & terræ ac totius creaturæ dominio ac possessione velimus movere quæstionem. Supremum & antiquissimum Dominum quis nisi atheus dubitet? (ad 4.) pariter cum Catholicis Acatholicis quæsierunt, cum DEO nullus. (ad 6.) hominem manutenendum esse contra DEUM in possessione peccati mortalis verè nunquam cecidit in mentem hominum, nisi

forfan adversarii objicentis. Ad quid ergo hæc lamenta? nec reliqua absurda n. 4. objecta sunt majoris momenti. Nam licitum esse operari cum conscientia practicè (quod addendum fuisset Fagnano) dubia nemo ex nostræ sententiæ Authoribus unquam dixit. Effatum illud Pontificium, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, ludibrio non exponitur, neque à frequentè praxi excluditur: quò modò autem sit intelligendum in allegatis autoritatibus SS. Canonum, mox art. seq. dicemus. Utrùm quæstiones ex regula possessionis sint rectè, vel, ut adversariis videtur, ridiculè decifæ, patebit ex §. 2. sequenti.

ARTICULUS IV.

Quomodo in dubiis sit tutior pars eligenda?

SUMMARI A.

1. Illa regula, quòd in dubiis sit pars tutior eligenda, non est tantum particularis, vel de consilio.
2. Sed etiam de præcepto in certa acceptione.
3. Respondetur ad c. ad audientiam, & alia de homicidio.
4. Respondetur ad c. illud de Cler. excomm.
5. Exponitur c. juvenis. de sponsalibus.
6. Exponitur c. inquisitioni. de sentent. excomm.
7. Respondetur ad Clement. Exciat.
8. Concordia diversarum Juris regularum.
9. Quid dicendum in dubio legis & censura?
10. Quid in dubio solutionis, depositi, perditii?
11. Quid in dubio obligationis ratione tenuis beneficii?
12. Quid in dubio, an beneficium vacaverit mensè Papali.
13. Quid in dubio etatis requisita pro SS. ordinibus, aut jejunio?
14. Quid in dubio legitimisationis?
15. Quid in dubio temporis pro inchoando, vel finièndo jejunio?
16. Quid in dubio peccati commissi, vel confessi?
17. Quid in dubio reservationis, vel jurisdictionis?
18. Quid in dubio baptismi, ordinationis, consecrationis?
19. Quid in dubio impedimenti?

§. I.

Hæc regula aliâq. Juris Canonici capitula exponuntur.

Volunt aliqui, hanc regulam juris continere solummodo consilium, non præceptum. Ita Suar. tr. 5. de censur. disp. 40. sect. 6. n. 9. Malderus l. 2. q. 19. a. disp. 87. Moura de incantat. op. l. sect. 1. c. 5. n. 2. Alii hanc regulam limitant ad casus in Jure expressos, quod Naldo & Viguero tribuit Diana t. 4. tra. 3. resolut. 3. Neutra opinio satisfacit. Non prima: quia sic ista regula non magis esset data pro dubiis, quam pro certis: cum etiam in certis, ubi pars utraque est tuta & recta, de consilio sit, facere, quod tutius, melius, perfectius est: atqui jura dant istam regulam pro sedandis & componendis conscientis dubiis, ad vitandâ graves remorsus conscientie: ergo. Non secunda: quia hæc regula in Jure traditur, ceu remedium universale pro componendis [ut dictum] dubiis conscientis: utie R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

nim frequentissimè contingit, conscientias fluctuare; ita pariter opus est regulâ quâdam universali, quâ conscientia dubitanti consulari.

Dico igitur cum Joan. à S. Thoma disp. 12. 2. a. 4. n. 12. & CæsarAugust. disp. 209. dub. 5. n. 114. aliisque, hanc regulam debite intellectam esse de præcepto. Intelligenda autem est primo, de parte tutiori, non comparativè per respectum ad partem tutam, sed adversativè per respectum ad alteram partem non tutam. Nam in parte non tuta est periculum peccandi: sed quisque tenetur vitare periculum peccandi: ergo tenetur eligere partem adversativè tutiorem, & relinquere partem non tutam, sed adversativè minus tutam. Quia vero nemo obligatur amplecti meliora, certiora, perfectiora; ideo non est præcepti, sed consilii sequi partem comparativè tutiorem. Intelligenda est secundo in dubio practico, quia in hoc una pars semper habet annexum periculum peccati formalis, quæ proinde relinqui debet. Tertio in dubio speculativo, priusquam ad illud vincendum, vel deponendum debita diligentia fuit adhibita; vel Quarto: Cum non adest sufficiens ratio dubiam conscientiam prudenter & practicè deponendi; tunc enim sequens partem minus tutam committeret se periculo peccati. Quinto: Cum electio partis tutioris expressè à jure præcipitur, ut in c. ad audientiam de homicidiis &c.

Unde etiam colliges, quid ad jura contra nostram sententiam adducta sit dicendum. Nam ad dictum c. ad audientiam. c. significasti. c. petitorio. de homicidiis. Respondeo i. cum Herinck propter reverentiam SS. ordinum & ministerii altaris specialiter constitui, ut tunc dubitans, an ex sua percussione sit secuta mors percussis, se gerat tanquam irregularem, non obstante possessione innocentia, quæ dispositio tanquam odiosa ad alios casus non debet extendi, siquidem odia restringi, & favores convenit ampliari, & in parvis benignior interpretatio est facienda. per Reg. 168. ff. de R. I. Afferit autem Summus Pontifex in prædictis capit. illam regulam, In dubiis &c. non tanquam legem necessariam hic & nunc ita statuendi, sed tanquam rationabile motivum illum irregularem declarandi, qui alium percussit, quamquam dubium esset, an ex ejus ictu obiisset. R. Respon-

Responderi potest secundò cum Arriaga & Joa. Sanch. apud Boss. n. 1207. in illo dubio homicidii possessionem non stetisse pro libertate vulnerantis, sed potiùs pro lege irregularitatis; siquidem propter certum vulnus præsumptio potiùs erat pro lege contra vulnerantem. Unde cum dubium rationabiliter deponi non posset, meritò locum habuit illa regula: *In dubiis &c.*

4. Ad c. illud de *Cler. excomm.* Respondeo quòd Episcopus, de quo est mentio, fuerit practicè dubius de sua excommunicatione, nec fuerit bonæ fidei possessor suæ innocentia; quia partim se ex fama noverat excommunicatum, partim veritatis investigandæ diligentiam necdum adhibuerat.

5. Ad c. *juvenis de sponsal.* Respondeo, ibidem agi de valore sequentis matrimonii, quod in illo casu certius erat esse irritum, propter impedimentum publicæ honestatis; Unde Summus Pontifex non utitur voce *tutus*, sed *certius*, adeòque contrahens non erat bonæ fidei possessor matrimonii.

6. Ad c. *inquisitioni* Respondeo, ibidem agi de dubio matrimonii, ad quod vincendum vel deponendum necdum fuit adhibita sufficiens diligentia; unde conjunx pro debito petendo non poterat bonæ fidei possessionem prætere.

7. Ad *Clement. Exivi*, Respondeo primò. Si Summus Pontifex voluisset tutiorem sequi, debuisset de omnibus in Regula præceptivè contentis judicare, quòd obligent, cum hæc sit pars tutior, & tamen fecit contrarium. Respondeo secundò: ibidem supponi dubium practicum; cum enim Religiosi D. Francisci se censerent ad ea, quæ sub verbis imperativi modi, vel æquipollentibus in sua regula continentur, ex declaratione Nicolai III obligatos, & ex una parte difficile videretur, tot obligationes subire, ex altera verò non adesset sufficiens fundamentum, unam potiùs, quàm alteram materiam similibus verbis comprehensam eximendi, pro dubii declaratione ac conscientia tranquillitate obtinenda summam sedem adierunt: sicque partem securiorem, dubium juxta Summi Pontificis declarationem deponendo, elegerunt.

Ad auctoritatem D. Augustini negatur suppositum, quòd, qui titulo possessionis in favorem libertatis eligit partem comparativè minus tutam, eligit partem incertam: est enim certa & tuta. Adde, quòd S. P. loquatur de remedio poenitentia non nimium differendo, ex quo nihil contra nos inferitur.

8. Habet igitur locum illa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*; habet & ista: *In pari causa melior est conditio possidentis*: nec illa per istam destruitur. imò, ut Jo. à S. Th. d. loc. hoc ipso, quòd aliquis ex titulo possessionis vincat ac deponat dubium, partem tutiorem eligit: quia operari prudenter deposito dubio, est pars tuta, & adversativè tutior, quàm operari non deposito dubio, quod nunquam fit sine peccato. Utraque regula est utilis & sufficiens ad dubium deponendum, quibus accedit tertia: *ex duobus malis minus est eligendum*, quæ tunc deservit ad praxin, cum urget necessitas unum eligendi ex duobus, quorum utrumque habet repugnantiam cum lege, v. g. *negligere moribundum, vel die festivo neg-*

ligere Sacrum; tunc enim dubitans illam partem ex qua minor apparet convenientia, tenetur eligere; quia propter necessitatem operanti ex illa parte cessat legis obligatio. Ad istas regulas alia facili negotio reducantur; *ut in dubiis tutior pars est eligenda, quàm alicui*; reducit ad regulam de possessione. *In obscuris minimè sequendum*: pertinet ad hanc; *Minus malum est eligendum*. *In obscuris respicimus id, quòd pro-*
similius est, vel plerumque fieri consuevit, pertinet ad illam; In dubiis tutior pars est eligenda.

§. II.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò: *Invincibiliter dubitans* tantem an præceptum, vel lex aliqua lata vel promulgata, non teneri tali præcepto. Hæc riq. Sanch. l. 2. de matr. disp. 21. n. 36. Sui t. 5. in 3. p. disput. 40. sect. 5. num. 15. tenet verò si certus de existentia legis solum dubiet, sitne justa, rationabilis, abrogata? &c. *Item de voto supra diximus*. Ratio primi ex dictis est *primò*: quia lex non obligat, nisi legitime promulgata: sed in dubio non est legitime promulgata: ergo. *Secundò*: quia in dubio existentia legis, possessio, & præsumptio non est pro lege, sed pro libertate. Nam ante hoc dubium bonæ fidei possidebatur libertas, & dubium superveniens, quod solita diligentia vinci nequit, non tollit bonam fidem, ut probat Covarruv. *2. q. 2. p. 7. Tertiò*: quia facta non præsumuntur, nisi probentur: legislatio & promulgatio est quid facti: ergo. *Quartò*: Lex introcibiliter ignorata non obligat: ergo nec invincibiliter dubia: quia invincibile dubium videtur æquivalere ignorantia invincibili. Ratio secundi est: quia circumstantia, quæ solent contrari actum, præsumuntur, & neganti incumbit onus probandi; unde si certum est præceptum, votum &c. præsumptio & possessio est pro præcepto, voto &c. adeòque obligat. *Pariter si constitet, censuram esse latam, dubium verò est, an Superior habuerit causam sufficientem ad illam ferendam, censura ligabit, quia possessio stat pro obligatione censuræ, nec defectus circumstantia præsumitur, nisi probetur. Suar. l. 2. tr. 3. disp. 12. sect. 5. n. 7.*

Inferes secundò. *Debitorem de debito certum, de solutione incertum, teneri ad solutionem*: cum creditor sit in certa possessione sui juris. At verò depositarium vel commodatarium si dubitet, an res deposita suâ culpa perierit, non teneri ad ejus restitutionem: quia restitutionis obligatio imponit culpam; culpa verò non præsumitur, donec probetur.

Inferes tertio: *Beneficiarium dubitanti, debet teneatur recitare Divinum Officium, eò quòd beneficium sit tenue, obligati ad illud recitandum, quia beneficium, adeòque etiam annexa obligatio recitandi officium certa est*: dubium verò est, an beneficiarius ob fructuum tenuitatem excusetur. Vasquez t. 2. disp. 65. num. 11.

Inferes quartò. *Si sit dubium, utrum beneficium vacaverit mense Pontificis, vel Ordinarii, cum v. g. beneficiarius mortuus fuit circa octidiam noctem ultimæ diei Maji, qui supponitur*

esse mens Pontificis, & est dubium, an cœperit prima dies Junii, qui est mens Ordinarii, beneficii provisionem pertinere ad Summum Pontificem. ut habent Layman l. 1. tr. 1. v. 5. §. 4. n. 16. Bonac. de contract. d. 1. q. 2. punct. 2. Ratio est: quia professio & præsumptio est pro reservatione & jure Summi Pontificis non pro jurisdictione Ordinarii, de qua dubium est, an inceperit. Deditio quoque potestatis & reservationis Pontificis est aliquid facti, quod non præsimitur, sed demonstrari debet. *L. in bello, §. facta. ff. de captivis & postliminio.*

13. Inferes quintò: Dubitantem, an 21. ætatis annum compleverit, esse obligatum abstinere a suscipiendis SS. Ordinibus, non tamen obligatum ad observantiam jejunii Ecclesiastici. *Ratio primi est*, quia lex prohibens susceptionem SS. Ordinum ante expletum 21. ætatis annum est in possessione, & suscepturo SS. Ordines incumbit legitimæ ætatis probatio. Ratio secundi est: quia tunc de existentia legis & obligationis est dubium [neque enim lex illa incipit esse & obligare, nisi supposita ætate debita] possessio verò est pro libertate. Sanch. l. 2. de matrim. disp. 41. n. 40. Layman l. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. qui probabiliter affirmat, etiam Sacerdotem dubitantem, an post mediam noctem aliquid cibi vel potus sumperit, die sequenti sacrificare posse.

14. Inferes sexto. In dubio, an quis sit legitimus vel illegitimus, habendum esse pro legitimo. Est enim ille in sui honoris possessione, donec contrarium probetur. Unde etiam cum aliis fratribus legitimis hereditatem adire poterit; si tamen hereditatem jam ab aliis aditam, & possessam velle præterdere, probare deberet se esse legitimum, quia tunc pro aliis staret possessio, nec ipse esset reus, sed actor; cum verò partium jura sunt obscura, reo potius est favendum, quam adori juxta præcit. Reg. Juris. Castrop. tr. 1. disp. 3. p. 1. Sair. l. 1. c. 13. n. 19.

Inferes tamen septimò. Cum de infante exposito dubitatur, an sit legitimus, vel illegitimus, habendum esse pro illegitimo; quia tunc præsumptio est contra ipsum, eò quòd illegitimi regulariter ita exponi solent: Neque refert, quòd delictum non præsimitur, donec probetur; id enim verum est, cum abest alia rationabilis causa, & fundamentum inducens præsumptionem & probabilitatem delicti: quale fundamentum probabile illegitimitatis in proposito est expositio infantis, qui promitte si sit aliquando promovendus ad SS. Ordines, prius debet dispensationem petere irregularitatis ortæ ex defectu natalium. Suar. disp. 50. de Cen. sect. 3. n. 4.

15. Inferes octavò. Dubitantem invincibiliter in nocte feriæ quintæ, an elapsa sit hora duodecima, licitè posse carnes comedere; dubitantem verò in nocte Sabbathi non posse licitè illas comedere. Ratio est, quòd in priori casu lex jejunii, præsупponens horam 12. completam, est dubia, & dubitans est in possessione libertatis. In posteriori verò casu obligatio jejunandi in die Sabbathi est in possessione, dubium verò est de finita hac obligatione & recuperata libertate non jejunandi. Layman loc. cit. num. 35.

16. Inferes nonò. Siquis dubitet, an peccatum

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

commissum fuerit confessus, teneri ad confessionem; quia tunc lex certa confitendi peccata commissa est in possessione. At quid si dubitet, an aliquod peccatum commiserit? Non teneri ad confessionem docent Gabr. Beatus. q. 12. n. 15. cum Regidio Coninck t. 2. de Sacrament. disp. 7. dub. 8. & nonnulli alii, quæ quidem sententia pro scrupulosis servare poterit. In praxi verò longè probabilior est sententia, docens obligationem confitendi peccata dubia, non quidem ut certa, sed ut dubia, quæ est S. D. in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. ad 3. D. Bonavent. Alensis, & communis DD. Cujus ratio est primò: Quòd praxis Fidelium & communis DD. illud præceptum Tridentini Sess. 14. cap. 7. ut pœnitentes confiteantur omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, interpretatur etiam de peccatis dubiis existentibus in conscientia dubia. Secundo: quia cum Sacramentum Confessionis & pœnitentiæ sit subrogatum præcepto & remedio contritionis, est essentialiter reconciliativum, & non minùs obligat ad positivè quærendam & assecurandam moraliter reconciliationem cum DEO, quam ante institutionem pœnitentiæ obligabat præceptum contritionis: sed istud obligabat & adhuc in casu necessitatis obligat ad contritionem de peccatis dubiis: ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ obligat ad confessionem de peccatis dubiis. Minor probatur: quia, quamdiu quis est dubius, an cum DEO redierit in gratiam, tamdiu non satisfacit præcepto dilectionis & pœnitentiæ obliganti ad positivè quærendam assecurationem reconciliationis cum DEO: at, quamdiu quis conteritur de peccato dubio, tam diu non est securus, sed dubius, num cum DEO redierit in gratiam: ergo. Tertio: quia, cum agitur de applicando remedio pro salute animæ, applicanda sunt media tutiora & probabiliora, sicuti pro sanitate corporis applicandæ sunt medicinæ tutiores: ergo ex lege charitatis, quæ homo tenetur diligere seipsum, tenetur procurare remissionem peccati dubii. Neque huc facit possessio vel præsumptio pro libertate, utraque enim est pro lege charitatis, pœnitentiæ & Tridentini. Neque hic factum præsimitur, sed tantum sub dubio in confessione exponitur, idque non ad imponendam odiosam obligationem, sed favorabilem absolutionem pœnitentis.

Inferes decimò. In dubio, an peccatum reservatum fuerit commissum, non necessariò ad eundem esse Superiorem; quia dubium facti non præsimitur, donec probetur, & cum reservatio sit odiosa, non est extendenda ad peccata dubia. Jo. Præposit. in 3. p. qu. de integritate confessionis. Henriq. in Summ. l. 8. c. 45. Sed & Confessarius dubitans, an aliquis casus sit reservatus, potest ab illo absolvere; cum enim sit dubium facti, rationabiliter potest præsumere, casum non esse reservatum. Dubitans verò de jurisdictione sibi data non potest absolvere, quia & jurisdictionis collatio non præsimitur, donec demonstratur, & aliunde lex certa de non impertienda absolutione à non habente jurisdictionem legitimam est in possessione. Suar. de cenf. d. 4. sect. 6. n. 4. Emmanuel Sà v. casus reservat. n. 5.

R 2

Inferes

18. Inferes undecimò. Sacerdotem ordinatum ab Episcopo incognito, de quo dubitatur, an sit Episcopus, iterum esse ordinandum. per c. *presbyteris*. disp. 68. Dubitantem de baptismo non prius ordinandum esse, quam sit iterum sub conditione baptizatus, per c. *veniens*, de *presbytero non baptizato*. Ecclesiam esse consecrandam, de qua dubitatur, an sit consecrata, per c. *solemnitates*, de *consecrat. d. 1.* quia dubia de baptismo, ordinatione, consecratione sunt dubia facti, quæ non præsumuntur, donec probentur: præter alia pericula, & inconvenientia, quæ sequerentur ex nullitate Baptismi, Ordinis &c.
19. Inferes duodecimò. Dubita invincibiliter de impedimento matrimonii sine dispensatione posse contrahere matrimonium, quamquam melius, & in futurum cautiùs faciet, si pro meliori esse dispensativam declarationem petat. Uterque Sanch. & Casaraugust. disp. 119. dub. 10. Prohibitio quippe contrahendi fundatur super impedimento, quod non præsumitur, donec probetur, ac proinde contrahens est in possessione suæ libertatis. Dubitantem verò de morte conjugis prioris, nec licitè contrahere, nec durante tali dubio invincibiliter licitè posse petere

debitum, per c. *dominus de secund. nupt.* quia cum mors conjugis sit aliquid facti, non præsumitur, donec probetur, ideoque contrahens nunquam constituitur possessor bonæ fidei. Permittitur tamen reddere debitum, quia cum alter conjugum sit in bona fide [ut supponitur] non est suo jure fraudandus: Quamdiu verò unus conjugum non est bonæ fidei possessor, vel quia cum vincibili dubio impedimenti contraxit, vel dubium durante matrimonio exortum vincere neglexit, prohibetur à petendo debito, per c. *inquisitione de sent. excomm.* nam possessor dubitans vincibiliter, quamvis possit rem retinere, quoque veniorem investigaverit, aut dubium ex vincibili vincibile effectum fuerit, tamen illa activè, eamve alienare non potest: atqui petens debitum activè utitur matrimonio: ergo durante tali dubio, debitum conjugale exigere non potest. In redditione verò debiti cum sit quasi usus patris servitutis, idcirco comparatem in bona fide constitutam illa fraudare non potest. Quod si dubium fiat invincibile, non tantum reddi, sed etiam peti posse debitum, cum possessor bonæ fidei non sit privandus usu activo rei possessæ, dictum est supra.

DISPUTATIO XIII.

DE

Conscientia scrupulosa.

Quamvis Conscientia scrupulosa non constituat speciem conscientie essentialiter ab aliis distinctam, sed solum accidentaliter, ideoque ad alias Conscientie species juxta supra dicta, facile revocari possit, quia tamen timoratis etiam piusque animabus, nec non earum Curatoribus & Confessariis crebro multum facessit negotii, tricas & cruces accumulat, operæ pretium censui de scrupulorum causis & remediis ex probatis Authoribus aliqua specialius tractare. Sit igitur

ARTICULUS I.

Quid sint, & unde proveniant scrupuli?

SUMMARI.

1. Quid sit scrupulus?
2. Scrupuli differentia à dubio.
3. Scrupuli differentia à scientia & fide.
4. Potest scrupulus consistere cum conscientia certa & probabili.
5. Scrupulus tam de præteritis est, quam futuris.
6. Indicia, è quibus cognoscitur scrupulosus.
7. Radices scrupulorum ex parte animæ.
8. Et ex parte corporis.
9. Causa extrinseca scrupulorum.

§. I.

Quid sit Conscientia scrupulosa?

PRIMò: Scrupulus à quo Conscientie scrupulosa denominatio, est quædam inanis ex levi vel nullo fundamento orta suspicio, quæ cum animi anxietate timeretur, vel creditur alicubi subesse peccatum, ubi nullum subest. Unde duo sunt, quæ ad rationem scrupuli pertinent: primò, ut sit quædam saltem suspicio apprehensiva peccati, vel periculi ipsius, quæ in voluntate ge-

nerat anxietatem. Secundò: ut sit ex levi, vel nullo fundamento; si enim sit ex rationabili fundamento, constituet verum dubium. Inchoativè scrupulus est in apprehensione peccati ex levi, vel nulla ratione; complete & formaliter in judicio, assensu & actuali credulitate peccati, quæ illam apprehensionem consequitur, unde animi anxietas & perplexitas generatur.

Differt igitur primò scrupulus à dubio proprio, sumpto, quia hoc relinquit animum suspensum ab assensu utriusque partis; scrupulus vero potest consistere cum duplici assensu, uno practico, quo per conscientiam certam judicat aliquid licitè esse licitum; altero speculativo, quo sine rationabili fundamento ex parte iudicii speculativi libenter credit & timet se peccare. E.g. Clericus infirmus format conscientiam practicè certam, quòd licitè omittat recitationem Breviarii, quia Confessarius & Medicus ita judicant, & ipse licitè sequitur eorum consilium, idque suæ privatae opinioni præfert. Nihilominus patitur antea-